

Andrej Kokot:

VERBUM MEUM — MOJA BESEDA

Umquam quidem non exspuam verbum meum.
Quodsi necesse erit, magis in acumine
Calami volam scriptorii id praefigere,
Suspendere in horizonte chartarum quoque,
Ut flatibus lacerétur atque temporis
Nostrī putrescat in fimo hoc verbum meum.
Idem dein sterCUS meae fiat soli!
Quod fas meum est tractare, quam libet mihi.
Hoc protegam a sententia semper nigra,
Quam non dicam quamque ipse non dixi quidem
Umquam; meo nam non scio hoc in corpore
Mortem nec alienorum ego mortem scio
Verborum in oribus meis ut hospitem.
Mortem precantur qui malam verbo meo,
Muti simul sunt atque surdi, namque sunt
Circumdati tenebris turpitudinum.

Ljubljana.

Vertit: *S. Kopriva.*

Gema Hafner:

SENTENTIAE

„Ut des, do“ vita est, aliter deluderis usque
Et solus es nec non homo miser simul.

Ut de conchyli de corde est: Quo mage vulnus
Grave est, eo fit margarita pulchrior.

Quando homo fit melior? Cum quaerere iam incipit ille,
Quam margaritam in pulverem reiecerat.

Ljubljana.

Vertit: *S. Kopriva.*